



70 *Institutiones Philosophicae &c.*
tus sanctus per relationes, prima nimirum
per paternitatem, secunda per filiationem,
tertia per spirationem passivam. Quia au-
tem spiratio activa nihil aliud est quam
actio productiva Spiritus sancti, non distin-
guitur realiter a paternitate aut filiatione,
se proinde quartam rem in Deo non con-
stituit. Unde licet quatuor sint relationes
in divinis, sunt tamen duntaxat tres per-
sonae: Sed haec ad sacram Theologiam per-
tinent.

Quod spectat relationes creatas, breviter
ostendemus nullam enti realitatem superad-
dere relationes illas, sed eas in mera de-
pendentia unius entis ab alio, in mero re-
spectu postas esse. Etenim dum ens alli-
quod ad aliud refertur, nihil consideramus
nisi ea, quae duobus entibus absolute in-
sunt, eaque simul spectamus. Evidens au-
tem est nostrum considerandi modum nul-
lam rebus ipsis superaddere realitatem. E.
G. Si Cainus in se consideretur, intelligi-
mus eum non esse a se, sed genitum ab
alio; ideoque ab alio pendere quoad exi-
stentiam; ubi vero refertur ad Adamum a
quo existentiam accepit per generationem,
tum nulla ipsi nova realitas additur, sed
tantum denominatio extrinseca, quae realem
illam dependentiam supponit, seu quae ha-
bet fundamentum in re. Ex his paucis cla-
rissime patere arbitror quid sit relatio, &
plurimis difficultatibus theologicis respon-
siones parari posse.

SE.